



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Capitularia Regvm Francorum

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

46. De causis commendatis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-22974**

*Notitia de alode evindicato.*

XLII. Notitia qualiter vel in quorum præsentia veniens ille die illo, in loco nuncupante illo, ante illum judicem vel reliquos viros qui ibidem aderant vel subter firmaverunt; ibique interpellabat aliquem hominem nomine illum, eò quòd alode qui fuerat genitori suo nomine illo, in loco nuncupante illo, post se malo ordine retineret, vel ei contradiceret injustè. Interrogatus ipse homo ab ipsis viris si sic erat veritas an non; sed ipse iudicium vel breve sacramentorum ibidem ante ipsis viris protulit ad relegendum, qualiter cum ipso homine ante hos dies exinde ante illum judicem in rationes fuerat, & qualiter ipso alode contra ipsum hominem vel contra germanos suos eligitum atque evindicatum legibus habebat. Relecto ipso iudicio vel ipso breve sacramentorum, sic ipsi viri ipsum hominem interrogaverunt si aliquid contra ipsum iudicium vel contra ipsum brevem opponere volebat. Sed ipse taliter dixit, quòd nihil habebat quod contra ipsum opponere deberet, & se in omnibus recognovit quòd contra legem ipsum hominem calumniabat, & se exinde omni tempore taciturnum esse spondit. Propterea opportunum fuit ipsius ut hanc notitiam ex hoc accipere deberet, quod ita & fecit. His præsentibus actum fuit.

*Venditio de area vel de casa infra civitatem.*

XLIII. Magnifico fratri illo, ego enim ille. Constat me tibi vendidisse, & ita vendidi, hoc est, casa mea cum ipsa area ubi posita est, infra civitatem vel burgum illum, in ratione illius, in loco illo, quem ego data mea pecunia de aliquo homine nomine illo comparavi. Habet ipsa casa in matriam tantum, membra in gyro tanta, eòde lateribus vel frontibus casa vel terra illorum & illorum. Vnde accipi à te pretium in quod mihi bene complacuit, hoc est, tantum: quod pretium in manu mea accepi, & ipsam casam vel aream per hanc venditionem tibi tradidi à die præsentè perpetualiter ad possidendum; ita ut ab hodierna die quicquid exinde facere volueris, liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem faciendi, salvo jure ipsius terræ.

*Qui se in alterius potestate commendat.*

XLIV. Domino magnifico illo, ego enim ille. Dum & omnibus habetur per-

cognitum qualiter ego minimè habeo unde me pascere vel vestire debeam, ideo petij pietati vestra, & mihi decrevit voluntas, ut me in vestrum mundoburdum tradere vel commendare deberem. quod ita & feci. eo videlicet modo ut me tam de victu quàm & de vestimento, juxta quod vobis servire & promereri potuero, adjuvare vel consolare debeas, & dum ego in caput advixero, ingenui ordine tibi servitium vel obsequium impendere debeam, & me de vestra potestate vel mundoburdo tempore vitæ meæ potestatem non habeam subtrahendi, nisi sub vestra potestate vel defensione diebus vitæ meæ debeam permanere. Vnde convenit ut si unus ex nobis de his convenientiis se emutare voluerit, solidos tantos pari suo componat, & ipsa convenientia firma permaneat. Vnde convenit ut duas epistolas uno tenore conscriptas ex hoc inter se facere vel adfirmare deberent. quod ita & fecerunt.

*Evacuaturia.*

XLV. Domino magnifico fratri illo, ego enim ille. Dum & omnibus non habetur incognitum qualiter ante hos annos solidos nostros numero tantos ad beneficium accepisti, & cautionem nobis emisisti ut ipsos solidos tantos tunc nobis reddere deberes. quod ita & fecisti. Sed dum illam cautionem, quod nobis emiseras, ad præsens non habeo, ideo hanc epistolam evacuaturiam fecimus, ut de ipsis solidis tantis omni tempore ductus & securus redeas. Et si ipsa cautio apparuerit, vel à nobis vel ab heredibus nostris ullo quoque tempore ostensa fuerit, nullum fortiatum effectum, sed vacua & inanis permaneat.

*De causis commendatis.*

XLVI. Magnifico fratri illo, ego enim ille. Rogo, supplico, atque publiciter tuæ caritati injungo ut omnes causas meas tam in pago quàm & in palatio, aut ante iudices, vel ubicunque mihi necessitas evenerit, ipsas causas meas ad meam vicem prosequere & admallare facias, & de ipsa prosecutione mihi reddas certiorum. Et quicquid exinde egeris gesserisve, ratum & bene acceptum à me in omnibus esse cognoscas. Quod mandatum ut pleniorum obtineat firmitatem, manu propria subter firmavi, & bonis viris adfirmare rogavi.